

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Matronae munificentissimae Dorotheae Friedericae
Lucretiae de Pelcke, natae de Bernhold in Eschau, ...
parentabunt ... cives ...**

Sachs, Johann Christian

Carolsruhae, 1769

"Sed nec patriae annalibus desunt exempla tum Principum et virorum
illustrium [...]"

[urn:nbn:de:bsz:31-116002](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-116002)



cunia melius, quam in virtutum artiumque ac morum officinas impenditur.

Equidem non sine ingenti voluptate recordor, quod de singulari Magnae Britanniae cura ac liberalitate in pauperum civium liberos ante sex, et quod supra excurrit, lustra, in eruditorum ephemeridibus relatum legi. Legi Londini centum et triginta duas; in ipsa Anglia mille trecentas vigintique et novem; in Scotia centum et novem; in Hibernia centum et sexaginta scholas institutas, in iisque tricenis quinquies mille sexcentos septuaginta novem liberos utriusque sexus gratuita frui disciplina, singulosque singulis annis novo amiculo donari. *) O munificentiam raram! o liberalitatem omni praedicatione majorem!

Sed nec patriae meae annalibus defunt exempla tum Principum et virorum illustrium, tum foeminarum nobilium, aliorumque, quamvis non sublimi, honesto tamen loco natorum, qui vel scholas suis sumptibus erexerunt, vel musas musarumque alumnaos re opibusque suis iuverunt. Longum iam foret, horumque paginarum modum excederet, enumerare omnia. Pauca tantum nunc praedicabo; reliqua alii tempori asservo **).

Baden-

*) Londini aluntur

gratis 3137. pueri 1965. puellae.

in reliqua Anglia 19568. — 3915. —

in Scotia 3003. — 1047. —

in Hibernia 2406. — 600. —

**) Legata omnia, quorum memoria extat, alio programme, si Deus vitam viresque largietur, civibus meis carissimis proponam.